

D F N

1604



00
1A
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XXX.
De XL. Capite Geneſeos,
ad privatam συζητησιν
propoſita

à

SALOMONE GESNERO, S. S.
THEOLOGICÆ DOCTORE ET PRO-
fessore publico, in Academia
Vitebergensi.

De qua

Die 11. Decemb. Anno 1599. Deo auxiliante reſpondebit

M. IOHANNES VVECHTOLDVS.
Argentinensis.



VV I T E B E R G A E ,

Imprimebatur Typis Meisnerianis ,
M. D. XCIX.

1 dd

REVERENDIS, CLARISSIMIS
& excellentissimis Viris,

*Dn. IOHANNI PAPPO SS. Theologiae
Doctore, Ecclesiae Argentinensis Superin-
tendenti, Scholaeq; professori celeberrimo,*

*Dn. PHILIPPO MARBACHIO iti-
dem Sacrae Theologiae Doctore, & Profes-
sori dignissimo,*

Dominis ac praceptoribus suis benevolis,
omni reverentiae & obsequiorum genere
honorandis,

Biblicas hasce Quaestiones

*In debita gratitudinis τεκμηρίον,
Perpetuae observantiae σύμβολον,*

offert

*M. Iohannes Bechtoldus Argent.
Respondens.*

Caput XL. Thesis I.



Q UOD beata Hanna dicit, Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit, 1. Sam. 2. 6. eius illustre exemplum Iosephus nobis suppeditat.

2. Et haec tenus equidem commemoratum est, quo pacto in infernum, hoc est, in extremam calamitatem immerfus fuerit: praesenti autem capite explicatur, quibus initijs eius e miserrima conditione emerfio coeperit: estq; haec narratio nihil aliud, quam *παρὰ σκηνῆν* ad sequentem exaltationis Iosephi historiam.

3. Placet caput in quinq; membra partiri, ut primum sit de duorum Pharaonis aulicorum incarceratione, alterum de utriusq; somnio in genere, tertium de somnio pincernae eiusq; interpretatione, quartum de somnio pistoris & eius explicatione, & quintum deniq; de utriusq; eventu.

Primum membrum capitis, de incarceratione duorum aulicorum Pharaonis.

4. Ad incarcerationem quod attinet principio personae incarcerationatae notantur, quod nimirum illorum duo fuerint, & quidem conditione pares, uterque videlicet regius minister Pharaonis, & princeps, officijs autem dispares, quod ille pocillatorum, iste pistorum magister esset.

5. Eunuchi vocantur in graeca & latina versione, sed haebraice Sarisim, id est, aulici, sicut id nomen e pite 37. est explicatum. Neq; enim castrati fuerunt, ut quidam nugantur. Et cum no-

1. Quest.
de duobus
Eunuchis.

6. Deinde culpa indicatur, quod peccaverint in dominum suum, Pharaonem, regem Aegypti. Rabini fabulantur pincernam ex incuria muscam in vino & pistorem itidem ex negligentia lapillum in pane regi porrexisse, cui comento recte obtendit Lyra, Pharaonem principem justum & mansuetum, ut e sequentibus apparebit, ob eiusmodi leve erratum non capitali supplicio pistorum principem affecturum fuisse.

2. Quest.
de culpa duorum aulicorum.
Fabula Iudaica.

A 2 7. Quam-

7. Quamobrem eiusmodi nugis valere iussis tutius est nos speciem delicti ignorare, genus scire. Varia enim sunt, quibus aulici suos Principes offendere possunt: & ex sequentibus patebit, τὸν ἀρχιστοπαιὸν facinus supplicio dignum admisisse, τὸν ἀρχιοινοχόον autem (sic enim septuaginta eos nuncupant) levius deliquisse.

3. *Quest.*
an magister
carceris sit
Potiphar.

8. Tertiò poena delicti significatur duplex, una Regis indignatio, altera incarcerationio. Carcer autem est in ædibus principis militum, qui hebraicè vocatur Sar hattabachim, qua appellatione supra Potiphar nuncupatus fuit. Et quaeritur quis iste fuerit carceris magister? collatio autem præcedentis & præsentis capituli ostendit, summum carceris præsidem fuisse Potipharem, & sub se habuisse alium, qui carceri præfectus fuerit. Nam cap. 39. 21. Potiphar Iosephum custodiæ carceris magistro mandat, quod facere non potuisset, nisi facultatem ei mandandi habuisset: deinde nominibus etiam distinguuntur. Potiphar supra quoque fuit appellatus Sar hattabachim, quæ appellatio hic repetitur vers: 3. 4. Carceris autem præfectus vocatur Sar beth hessohar, princeps domus carceris. Adhæc domus carceris est in domo Principis hattabbachim, id est, militum seu lanitorum cap. 39. 20. & 40. 3. 7. adhæc Princeps hattabbachim Satellitum seu militum, vocatur dominus Iosephi, quæ appellatio carceris præfecto non competit, sed Potiphari, utpote qui jus dominij emptione acquisiverat. Postremo pincerna ca. 41. 10. 12. cum retulisset se ab irato rege in domo principis Satellitum incarcerationatum fuisse, ilicò subiungit, ibidem fuisse puerum hebræum, servum eiusdem principis militum. Ex quibus colligitur Potiphari supremam carceris inspectionem fuisse demandatam, præfectum autem seu magistrum carceris sub eius potestate constitutum fuisse.

9. Carceri præterea nomen est Beth hassoahar, id est, domus seu turris rotunda, sicut etiam supra cap: 39. 22. & vocem hebræam benè expressit Philo carcerem ἐργαστήριον vocans: & à Mose porro additur, quod in eodem ergastulo Iosephus fuerit.

10. Postremo annectitur, quòd Sar hattabbachim, id est, ἀρχιστομώτης iuxta græcos, vel δεσμοφύλοξ, ut Act. 16. 27. Philippensis nominatur, duos aulicos, ministros Iosepho com-

men-

mendaverit, quodq; ille ministraverit eis, & quod deniq; aliquandiu in vinculis fuerint.

11. Biennium autem à tempore liberationis pincernæ usq; ad educationem Iosephi effluxisse, capite 41. patet: Quamdiu autem duo ministri regij fuerint in carcere non exprimitur. Nam Hebraeus textus non definit certum tempus, sed ait, illos fuisse ibi dies, in multitudinis numero: Græci, ἡσαν ἡμέραι ἐν τῇ φυλακῇ, Onk. aliquot dies, Hieron: aliquantulum temporis.

12. Quod in aula Pharaonis officia pistorum & pincernarum distributa, & singulis principes & ἐργασίας πρᾶκται præfecti sunt, ex eo non tantum colligitur, quam vetustum sit pocillatorum, prægustatorum, pistorum, & coquorum in principum aulis munus, Deoq; minimè adversum, sed acceptum, verùm etiam istud, quod sapientes domini labores & ministeria prudenter distribuunt. Siquidem per œconomicam sapientiam, quæ potissimum in bono ordine consistit, conclavia implentur omni substantia preciosa & amœna Prou. 24. 4.

13. Cùm Propheta delicta aulicorum nominet peccata, inde liquet neutrum fuisse innocentem, & in peccatorum numero ea quoque Spiritus sancti iudicio censerit, quæ à servis in heros, à subditis in dominos præter officium committuntur Ephes. 6. Colof. 3. 1. Pet. 2.

14. Etsi porro iniusta ira & sævitia sunt abominatio coram Domino, Syr. 28, Prov. 27. Iac. 1. Attamen iusta indignatio ob flagitia & scelera non modo nõ prohibita, sed etiam mandata est ordini politico, Ecclesiastico & œconomico Psal. 4. Ephes. 4. Matth. 22. & melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Eccles. 7. 4.

4. Quest.
de ira Pharaonis.

15. Alienus etiam est Pharao à προσωποληψία, siquidem in primates æquè animadvertit ac in infimæ sortis homines. Respicere enim personam impij in iudicio non est bonum Prov. 18. 5. Deut. 1. & 16. Levit. 19.

16. Ac cùm isti duo aulici è summo honoris fastigio subito in inam calamitatum lacunam præcipitentur, nemo favori aulico nimium confidat. Res enim lubrica & incerta est, quod etiam Danielis & sociorum eius, Davidis & Iohannis baptistæ exemplis clarum est.

Favor aulicus lubricus.

Primus carcer in biblijs. 17. Nec silentio prætereundum, quod hic in Ægyptij regis historia prima inducitur & antiquissima carceris mentio, & fuisse carcerem in Dei quoque populo usurpatum Num. 15. & Lev. 24. cernitur.

Humanitas d'εσμο-φύλακος erga Iosephum. 18. Neque immeritò miratur Philo in custode carceris humanitatem. Nam carcerum custodes degunt inter plagarios, fures, parietum perfossores, facinorosos, violentos, stupratores, homicidas, adulteros, sacrilegos, à quorum singulis nonnihil nequitiae contrahunt, ut ex huiusmodi collatione miscellaneaq; temperatura conficiatur vna scelestæ colluvies: Attamen talis homo honestate adolescentis mitigatus non solum securitatem & ocium ei præstitit, sed etiam omnibus eum præfecit, ita ut penes ipsum species nomenq; custodis esset, rem autem & officium adolescenti cederet. Sic ille. Sed Spiritus sanctus hoc ipsum operatus est, sicut in Philippensi illo carceris magistro, qui suscepto baptismo πανοικί cum universa familia credidit, Act. 16. 35.

Carcer Iosephi fuit gymnasium pietatis. 19. Idemq; Philo eleganter sanè ministeriū, quod Iosephus vincis præstitisse perhibetur, de institutione in primis exponit, ita scribens: Locus ille non tam erat carcer, quam σωφροσύνην disciplina & doctrinæ custodia. Admonebantur enim vincis sermonibus & præceptis Sapientiae, sed maxime ipsius doctoris exemplis utilissimis. Suam enim vitam continentia cæterisq; virtutibus plenam, δια γραφῶν ἀρχέτυπον εἶν δεικνυσαμένην, id est, velut tabulam bene pictam in medio proposuit.

20. Et credibile est, ut idem Philo censet, Iosephum suis concionibus & pia conversatione multos è vincis ad veram Dei agnitionem convertisse. Quemadmodum Paulus & Silas Act. 16.

21. Deniq; cum versu 4. dicatur, & præposuit Sar hattabbachim Ioseph illis &c. vel iuxta hebræum textum, Iiphkod, id est, visitatorem vincitorum constituit illum: & Sar ille sit Potiphar, ut antea conclusum, ex eo apparet, animum heri iam mitigatum fuisse erga Iosephum, ipsiusq; innocentiam in lucem fuisse educatam. Hoc illud est, quod Psal: 37. 5. dicitur, Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet, & educet quasi lumen justitiam tuam & iudicium tuum, tanquam meridiem, Prov. 16. 7.

Secun-

*Secundum membrum de Somnio utriusq;
vincti in genere narratio.*

22. Haftenus de duorum aulicorum incarceratione audivimus: porro de Somnio utriq; oblato videndum est. Et principio dicit Moses; & somniarunt somnium ambo, neve quis existimet unū fuisse amborum somnium, ideo subiungit distributionem, quilibet somnium suum, nocte una: & porro personas etiam nominat: pincerna, inquiens, & pistor Regis Ægyptij, qui vincti erant in domo carceris. Græca versio obscurior est, καὶ εἶδον ἀμφοτέρω ἐνύπνιον ἐν μιᾷ νυκτὶ ἓν, & Hieronymus personarum nominationem omisit.

23. Quod adiungit Moses, Cepithron Chalmo, id est, iuxta interpretationem somnij sui, id obscurè quoq; reddunt græci, quorum visiones somnij illorum, clarius Onk: & Hieron: iuxta interpretationem somnij sui, licet Hieron: de suo addat vocabulum, congruam. *Textus explanatio.*

24. Et possunt ea verba vel ita accipi, quod Moses dicere velit, somnium cuiusq; fuisse tale, quale paulo post in interpretatione sequetur, vel, quod magis consentaneum, oblatum esse utriq; somnium competens, sicut interpretatio & eventus postea ostendit.

25. Quæri autem potest an somnia hæc pincernæ & pistoris fuerint θεόπεμπηα, an διαβολικά, an φυσικά. Naturalia enim viderentur alicui, quia à proprio cuiusq; opere & officio desumpta sunt: Diabolica, quia mœrorem afferunt. *s. Quæst. de qualitate & natura*

26. Sed ad primam obiectionem respondetur, Deum in excitantis nocturnis visionibus, uti causis naturalibus, sicut exemplū Nebucadnesaris ostendit, qui cogitans de ijs, quæ post se futura sint, somnium videt à Deo immissum Dan. 2. *borum Somniorum.*

27. Ad alteram; quod tristitia pincernæ & pistori non per se ex somnijs, sed per accidens, ex interpretationis nimirum carentia, evenerit, sicut in pistore inprimis cernitur versu 16.

28. Quod autem somnia hæc verè sint θεόπεμπηα quinq; rationibus liquet: primò quia somnia sunt plana, recta, perspicua, non obscura & ambigua, cuiusmodi ea, quæ diabolus offert: deinde quia futurorum prænunciatio & cordis regij perscrutatio non diabolo, sed soli Deo competit Esa. 44. & 47. tertio quia.

quia eventus præcisè respondet prædictioni: quartò quia Ioseph
eorum interpretationem alioquin se indignam censuisset, nisi illa
pro divinis habuisset: deniq; quia animos gravius feriebant.

*Causa, pro-
pter quas
oblata So-
renia.*

29. Cur autem Deus hominibus incredulis somnia immiserit nõ
indiget operosa indagazione. Fit enim istud ad revelandam di-
vinam Sapientiam & refellendas Ægyptiorum superstitiones: ad
commendandum & evehendum Iosephum; denique ad præpa-
randum Israeliticæ Ecclesiæ hospitium.

30. Pergamus autem cum Mose, & colloquium Iosephi cum
utroque super somnijs consideremus. Ioseph enim cum ab
hero suo, Potiphare, visitator incarceratorum constitutus esset,
officij sui diligentissimè curam agens, ut decet fideles servos. Esa:
48. Matth. 25. 1. Cor: 7. Eph. 6. manè ad ipsos ingreditur, ut ad
debita ministeria præstò esset.

*8. Quest.
an Ioseph
fuerit in
carcere an
liber.*

31. Cum Ioseph ad vinctos ingrediatur, ex eo certum est, illum
extra hoc carceris conclave in liberiore fuisse custodia. Nam
si planè fuisset liber, non cuperet è carcere educi, versu 14. Si verò
vnà cum cæteris inclusus, non diceretur ad eos manè ingredi.
Vnde cæcitas Potiphari apparet, qui licet innocentiam &
fidelitatem Iosephi cognitam haberet, nihilominus tamen in cu-
stodia innocentem detinuit: Laudanda interim humanitas, quod
carcerem mitigavit.

32. Ingressus autem Ioseph & videns facies illorum tristes, sciscia-
tatur principes illos duos Pharaonis, qui erant cū ipso, (quæ ver-
ba Hieronymus transijit) cur hodie facies vestræ sunt tristes, he-
braicus textus habet, malæ. Græci πρόσωπα σκυδρωπά. Tristitia
enim ut etiam lætitia cordis, vultu & oculis proditur.

33. Facit autem Ioseph quod pios decet, ut lugeant eum lugenti-
bus, Rom: 12. quemadmodum & ipse salvator mœstos discipulos,
qui Emahunta ibant, compellat, cur estis σκυδρωποι Luc: 24.

*9. Quest.
qualis fuerit
duorum tri-
stia.*

34. Respondent illi, somnium somniavimus & interpretes non
est nobis. Non igitur diffitentur, se tristi ac consternato esse
animo. Erat autem hæc tristitia, utpote fide carens, non secun-
dum Deum, sed secundum mundum, ideoq; non vitam & consola-
tionem sed mortem, & desperationem operabatur. 2. Cor. 7.

35. Vnde verò tristitia est? Respondeo, partim è somnio partim
è defectu interpretis. Nam Somnium causa erat πρόκαταρκτική
liqui-

siquidem visio divinitus oblata $\nu\omicron\eta\mu\alpha$ & $\tau\acute{\alpha}\delta\theta$ altius animo s. *Quasi.*
impresserat, ut solent à spiritu Dei immissa somnia, quod ex-*unde esti-*
empla Pharaonis, Nebucadnesaris, vxoris Pilati & aliorum *terit tristi-*
arguunt. *tia.*

36. Ac nisi sensum somnii profundius animo defixum senti-
rent, de interprete profecto solliciti non essent. Quandoqui-
dem vulgaria somnia, ut obiter transeunt, ita leviter vel nihil
etiam curantur.

37. Sed altera causa tristitiæ est propinquior, quam caro illis
suppeditat, quod interpretem sibi deesse conqueruntur. Atq;
hinc est, quod pincerna non minus tristis est quam pistor, licet
ipsum somnium fausta portendat. At qualem requirunt inter-
pretem? Quem illi Pother nuncupant, qui qualis sit ex sequen-
tis capituli versu 8. apparet, quod nimirum Potherim sint con-
iectores & somniorum interpretes superstitiosi & sceleratæ ma-
giæ dediti, arioli denique & augures, qualibus abundabat
Ægyptus.

9. *Quest.*
qualem de-
siderent in-
terpretem.

38. Vox ista Pother & Pithron cum alibi non extet, quam hoc
in loco, non est dubium Ægyptiorum esse peculiarem, quâ eti-
am Ioseph utitur. Siquidem cum vulgo loqui, cum doctis sen-
tire prudentem decet. Græci hoc loco $\sigma\upsilon\gamma\kappa\rho\nu\tau\alpha$ nuncupant,
eo quod somniorum interpretem singula inter se accuratè con-
ferre & omnes circumstantias pensitare oportet. Alioquin
 $\delta\upsilon\epsilon\rho\kappa\rho\nu\alpha$ & $\delta\upsilon\epsilon\rho\sigma\pi\acute{o}\lambda\omicron\iota$ nominantur.

39. Cum igitur in carcere coniectorem & magum non habe-
rent, idcirco deiecto sunt animo. Vnde vero humanæ naturæ
depravatio apparet, quæ in dubijs ad humanæ vel etiam diabo-
licæ sapientiæ præsidia convertitur, de vero Deo autem non
cogitat Eph. 2 Rom. 1. 2. Reg: 1. quod in istis eò magis vitupe-
randum est, quia familiarem habebant de Deo concionatorem
Iosephum, & stimulos divinæ maiestatis animis impressos ani-
madvertebant.

Humanam
cor humana
querit con-
silia.

40. Ioseph autem ad hæc respondet: nonne Dei sunt interpre-
tationes, quæ quæ quæba Onkelus ita expressit: Vtiq; à facie Dei
est interpretatio somnii. Superstitionem nimirum paucis, sed
graviter vituperat, atq; illa ad veri Dei, à quo petenda erat inter-
pretatio, agnitionem illos avocat.

Ioseph iube-
ditos princi-
pes desertis
ariolam De-
o expectare
interpreta-

B

41. Addit tionem.



20. *Quest. 41.* Addit autem Ioseph: Recitate, quæso, somnium. Quo-
cur Ioseph? quidem Iosephum non adducit ambitio & curiositas, sed partim
somnia somniorum conscia sibi interpretandi facultas, partim arcana Dei incitatio,
interprete- ut mox è sequente *πληροφορία* apparebit, qua certus est sibi divi-
tur. nitus hanc expositionem esse traditam. Dona autem Dei non
sunt sub invidentiæ aut ignaviæ modio occultanda sed in com-
munem usum proferenda: *Tim: 4. 14. 1. Cor. 14.*

42. Quodq; non sibi sed Deo adscribit interpretationem, non
modo modestiæ indicium est, sed etiam istius, Iosephum non
naturæ quadam sagacitate, sed Spiritus sancti illuminatione so-
mnia interpretari potuisse.

43. Cum Ioseph non ipsum somnium nôrit, ex eo apparet, di-
stinctos esse donorum prophetorum gradus, & Daniele multo
excellentiore dono prophetiæ circa Somnia præditum fuisse,
siquidem ipsum somnium regi in memoriam reducit. *Dan: 2.*
1. Cor: 12.

Tertium membrum capituli de Somnio

Quod pin-

pincerna eiusq; interpretatione.

cerna priore 44. Hac Iosephi oratione pincernarum princeps animosior
loco somni factus somnium suum narravit. Si quæras, cur iste priore loco
recitat. suum exponat? Respondeo qualitatem causæ, nec non somni
conditionem, quæ omnia fausta promittere vi-debatur, impu-
lisse.

45. Somnium tale est: In somnio meo, inquit, & ecce coram
me vitis: & in vite tres propagines sive palmites, sive rami,
eaq; (vitis) tanquam germinans ascendit flos eius: percoxe-
runt seu maturaverunt botri eius uvas. Et calix Pharaeo in manu
mea, & accipiebam uvas & exprimebam eas in calicem Pharaeo,

1. Quest. & dabam calicem super volam Pharaeo.

utrum Io-

seph preca-

tus sit ante

somni ex-

plicatione.

46. Audito somnio Ioseph ilicò interpretationem aggreditur.
Etsi autem nulla fit precum antegressarum mentio, sicut *Dan. 2.*
Daniel eiusq; socij Deum ardentibus votis invocant: Certum
tamen est Iosephum arcanis animi suspirijs à Deo petivisse, ut
mentem suam illuminaret: cum ipse dicat, non nisi à Deo esse
somnia somniorum interpretationem.

2. Quest.

de differen-

tia inter Io-

se-

47. Quodq; Ioseph ait: Hac est interpretatio eius, eo ipso suã
expositionem, quæ divinitus erai inspirata, non modo à com-
menti-

mentitijis *ὄνειροπόλων* & coniectorum fabulis, sed etiam à physico-*sephi expo-*
eorum, mathematicorum, medicorumq; & similium, qui è causis *sitionem so-*
naturalib9 futura præfagiunt, prædictionibus longissimè separat. *nij9 me-*
48. Nam Physicorum & Medicorum *μαντεύματα*, ipsis testibus, *dicorum,*
sunt *σοχαστικά*, quæ coniecturis & probabilibus & mutabilibus *physicorum*
causis nituntur, ac proinde non sunt infallibiliter certa, seu *ἔνδοξοι* ac *mathe-*
σοχασμοί. *maticorum*

49. Astronomi autem etsi futuras eclipses & alia, quæ ex motu *prognostica.*
siderum, qui vniformis & stabilis est, tanquam *καθ' αὐτὴν πρῶτως*
ἀιτίω dependent, certo prævident. (Astrologorum enim *lulum*
nunc non curamus, de quo supra aliquoties dictum est.)

50. Attamen perpetuo suis prognosticis, licet alioquin, quo
ad causas secundas *ἀναγκασίως* sese habentibus, *illam hypothe-*
sin tacitè substernant oportet, nisi Deus cursum *siderum & natu-*
ræ mutaverit.

51. Ioseph autem cum absque omni hypothesi & conditione,
categoricè & constanter asserat hæc ita eventura, uti prædicebat:
ex eo apparet, illum non ex astrorum aut causarum naturalium
consideratione, sed ex revelatione spiritus sancti hoc prognosti-
con habuisse.

52. Porro Ioseph in commemorato somnio non minuta quæli-
bet scrupulosè examinat, ut abundantes ocio & curiosi solent, *minutissima*
sed duas solummodo circumstantias, quæ erant præcipuæ, inter-
pretatur. Vna est temporis, quando nimirum id, quod præsa-
giebatur, sit eventurum, de eo sic ait: Tres propagines tres dies
sunt illæ scilicet propagines. *quæq; perse-*
quitur.

53. Ac cum *ἀναμφισβήτως* tres palmites de tribus, non horis, *13. Quest.*
non mensibus, non annis, non septimanis, &c. sed diebus Ioseph *unde sciat*
explicet, hoc evidentissimum est, non humani ingenij sagacitate *Iosephus,*
somnia istius interpretationem excogitari potuisse, ut Iustino hi-
storico videtur. *tres palmi-*
tes notare

54. Altera circumstantia, quam Ioseph perpendit, est actionis, *tres aies.*
de qua ait: In adhuc tribus diebus sive durantibus tribus adhuc
diebus, elevabit Pharaon caput tuum, & reducet te ad locum
tuum, & dabis calicem Pharaon in manum eius, secundum offi-
cium prius, quo fuisti pocillator.

55. In qua oratione quatuor scripturæ phrasæ sunt cōsiderandæ.

Prima est, quod ait, in adhuc tribus diebus. Hæc enim formula de triduo adhuc currente nec dum completo loquitur, sicut etiã versic: 20. arguit.

14. Quest.
quid sit ele-
vare caput.

56. Altera est de elevatione capitis: & elevare caput nihil est aliud, quàm de præsentè conditione misera aliquem eximere, diciturq; non respectu termini ad quem, sed, à quo. Ideoq; hic quidem in bonam partem accipitur, ut etiã de rege Ioachimo 2. Reg. 25. 27. Infra verò versu 19. in malam.

57. Græci tamen & Chaldæus nec non Hieronymus unanimi consensu sic interpretantur: recordabitur Pharaon principatus seu ministerij tui, vel simpliciter, tui, ut נשך nasa fit in mentē ex oblivione quasi attollere, & Rosch non partem corporis sed dignitatem denotet. Vnde quidam colligunt, solitum Pharaonem die natalitio catalogum suorum ministrorum recensere. Capita autem pro personis σωκενδοχικῶς accipi Num: 1. & 2. manifestum est.

58. Tertio ubi Hieronymus vertit, restituet te in gradum pristinum, græciq; ἀσχυιοβοχοίαν σθ, ibi hebræus habet, Connechra, quæ vox à Con, id est, firmare & stabilire, descendens basin seu firmamentum denotat. Legitima enim ad munus aliquod vocatio firmamentum est & stabilimentum consiliorum, actionum & conscientia.

59. Postremò officium pincernæ Iosephus alio quoq; vocabulo emphaticò appellat Mischpath, quæ vox alioquin significat iudicium. Et appellationis duæ videntur esse causæ, vel quod Archicenochoch iudex inferiorum pincernarum fuerit, vel quod alioquin in genere omne officium ita sit gerendum, ut Deo & hominibus ratio reddi queat. Luc. 16. Rom. 14.

15. Quest.
quibus ar-
gumentis
petitio Iose-
phi nitatur.

60. Atq; hæc erat somnij expositio. Quia verò Ioseph plenissima fidei πληροφορία indubitanter statuit hoc ita certo eventurum, idcirco petitionem subiungit eiusmodi: Sed recorderis mei, cum benè fuerit tibi, & fac, quæso, mecum misericordiam, & memento mei ad Pharaonem, & educ me de domo hac.

Rationes
petitionis
Iosephi.

61. In qua petitionis propositione rationes minimè leves incluse sunt. Nam istud verbum, recorderis mei, no modo somnij expositionem, nec tantum fidele ministerium, sed omnes Iosephi animi & corporis dotes pincernæ ob oculos proponit. Erant enim

enim illæ, ipso pincerna teste, meliore conditione dignæ. Hoc flagitat iustitia.

62. Istud porrò, cum benè tibi fuerit, idem est, ac si diceret, cave, ne fortuna immutet mores, sed ad pristinam dignitatem restitutus in memoriam & seriam cogitationem carceris, socijque tui Iosephi, redi. Hoc postulat rerum humanarum inconstantia.

63. Cum ait, fac mecum misericordiam, τὸ φιλανθρώπινον καὶ συμπάθητικόν innuit. Homine enim decet hominis miseria affici.

64. Postremò illud, memento mei apud Pharaonem & educ me de domo ista, tum facultatem, qua plurimum apud Regem eum valiturum prævidebat, tum rei dignitatem, quæ honori & emolumento illi futura sit, subindicat.

65. Istis autem rationibus ipsi petitioni insertis duas addit explicitè positas. Vna quidem est, quia furtim auferendo furtim ablatum sum, ut hebræus textus habet, de terra Hebræorum; quâ oratione innuit, se conditione liberum non servum, & per plagium in Ægyptum adductum esse.

66. Quod terram potius Hebræorum quàm Chananaeorum nominat duabus de causis factum est, tum quod terra Hebræis fuit divinitus promissa Gen: 12. & 14. & 15. &c. quâ promissione in exilio se Ioseph, ut omnes patriarchæ, consolatus est: tum verò quod Hebræorum nomen vel notius appellatione Chananaeorum vel æquè notum fuisse, ex hoc loco, & ex cap. 39. 17. itemque cap. 41. 12. apparet.

16. Quest.
Cur Ioseph
nominet
terram he-
bræorum.

67. Ultima denique ratio ab æquitate ducitur: quia hinc quoque, inquit, non feci quicquam, ut ponerent me in cisternam, id est, custodiam.

68. In hisce duabus rationibus notanda est Iuvenis modestia, qui fratribus, Potiphari, eiusque libidinosa vxori parcat, neque in quenquam invehitur, ita se excusans, ut nominatim neminem accuset, licet optimo jure possit. Id verò Christiana Charitas flagitat 1. Cor. 13. Quæ de re Chrysostronus hom: 63, Non scelus in se commissum narrat, sed hoc unum curat, non ut illos condemnet, sed ut pro se solo dicat.

17. Quest.
An Ioseph
abiecta spe
divini au-
xilij huma-
na liberati-
onis media
quæsierit.

69. Rabini hanc petitionem Iosephi duorum criminum arguunt, vnum quidem, quod abiecta in Deum spe & fiducia per humana media è vinculis se liberare conatus sit, alterum quòd pro-

B 3 phetiam



phetiam beneficio vendiderit : de quibus peccatis. Iudith. 8 Ier. 7. Act. 8. 2. Cor. 2. 2. Pet. 2. Num. 22. Atq; ideo existimant, Ioseph biennium in carcere detentum fuisse.

Licentium est, concessis medijs uti. 70. Sed ad primum; Iosephus Deo nec modum nec tempus præscribit, præscriberet autem, si miraculosam liberationem absque ullis medijs expectaret. Media verò eluctandi vel è miseris vel etiam è vili conditione ad meliorem divinitus concessa usurpare tam non est adversum Deo, ut ea negligere & aspernari Deum sit tentare. Matth. 4.

17. Quest. An Ioseph prophetiam vendiderit. 71. Neque Iosephus vaticinium suum vendidit, sicut Bileam, Num. 22. Quandoquidem prophetæ & concionatoris est, non modo veritatem verbi cœlestis auditoribus communicare, sed eosdem quoque debitæ gratitudinis erga verbi ministros seriò & modestè admonere. Matth. 10. Gal. 6. Ebr. 13. 1. Cor. 9.

72. Ac quod Ioseph. hâc petitione nihil peccaverit, id ex eo quoq; luculenter apparet, quod Dominus: ipso eventu institutum hoc approbavit.

73. Sed illud quispiam miretur, quod Deus homini ethnico liberationem per propheticum somnium indicat, Iosepho non indicat, illum citò liberat, hunc diu in vinculis detinet.

74. Locum autem hic habet communis doctrina, tum quod bona huius vitæ Deus æquè & plerunq; citius offerat malis, quam bonis Ps. 37. 73. Ier. 12. Matth. 6, tum quod dilectos suos filios diutius sub cruce detineat, ne cum mundo pereant, 1. Cor. 11.

Quartum membrum de somnio pistoris et usq; expositione.

75. Pistorum magister. auditâ hâc commodâ & lætâ interpretatione, ipse quoq; suum somnium commemorat: Fallitur autem sibi similem prædictionem promittens, cum in præcipuâ circumstantiâ somnia discrepent, quod nimirum pincerna phialam Pharaoni porrigit, pistoris autem cibi fiunt avium præda.

76. Interim hic pistor imago est hypocritarum, qui vel lucri, vel honoris, vel voluptatis causa verbum Dei audiunt: 2. Reg: 17. Act. 8. Rom. 16. Philip. 3. Iesa. 30. 18. Mich. 2. 11. Iohan. 6. Rom. 14. & dicunt, nolite stillare: item: loquimini nobis placentia.

77. Nar-



77. Narrat autem pistor suam visionem: Etiam ego, inquit, *Textus*
in visione mea, & ecce tria canistra farinae super caput meum, *τρία κανῶ*
ut vertit Hieronymus, Græci *τρία κανῶ χονδριτῶν*. Nam *κανῶν* seu *κανέων*
contractum est ἐ *κανέων*, quod est *κάνης* seu *κάνασρον*, canistrum *canistra*,
seu sporta, hebræis Sal Iud: 6. 19. Lev. 3. 6.

78. Canistra in textu hebræo vocantur Sallei hori. Onkelus,
Græci & Hieronymus de contento pane exponunt. *χονδριτης*
.n. est panis ἐ chondro, id est, farina seu alica confectus. Hebræi *Canistra fa-*
de ipsis canistris accipiunt, & ab albedine sic dicta existimant, *rima seu*
vel quod ex albis seu decorticatis virgulis fuerint contexta, vel *candida.*
ut alijs placet, quod foraminibus plena. Quod à candore nomen
habeant, certum est.

79. Reliqua in somnio patent, sicut etiam in eius interpretati-
one à Iosepho tradita. Quæstionem enim, quæ hic moveri po-
terat de sensu propositionis, tres palmites tres anni sunt, & tres
cophini tres sunt anni, capite 41. dicemus.

80. Vates sententiam somnii *διαρρηθῶν*, absq; ullo fucō, pistori *20. Quest.*
explanat, idq; ob tres causas: primo quia verbis Dei nihil ad- *Cur Ioseph*
dendum, nihil adimendum, nihil in illis flectendum. *adco τῶν*

81. Deinde quia ministros verbi non decet auram popularem *ἡσυχασ-*
captare sed *τῶν ἡσυχῶν* iusta & moderata uti: Dan. 4. & 5. Gal. 1. 10. *κῶν homi-*
Mich. 2. 11. 2. Sam. 12. Denique quia vana est consolatio & spes *ni ad suppli-*
quæ mendacio nititur, & moribundi aut supplicio afficiendi non *cium post*
lactandi sunt inanibus promissis, sed potius ad pœnitentiam ad- *triduum die-*
hortandi divinæ voluntatis præceptis. *cendo cen-*

82. Quemadmodum hæc historia primam carceris, ita quoq;
crucis mentionem habet, de qua Ioseph ad pincernam ait: Pha- *Quid sit*
rao recensebit seu attollet caput tuum, & suspendet te in cruce. *caput au-*

83. Quod Græci hæc verba ita reddiderunt, ἀφελεῖται τὴν κεφα- *ferre.*
λῶν σου ἀπὸ σου, & Hieronymus, auferet Pharao caput tuum, id
sequenti membro est contrarium, quo dicitur illum in crucem
suspensum iri, cum non capite truncati, sed integro corpore cru-
ci affixi sint.

84. Et cum versu 20. eadem phrasis indifferenter de utroque,
pincerna nimirum & pstore, repetatur, manifestum est, quod
non caput auferre & amputare, sed caput, id est, hominem re-
censere significet, ut Num. 1. & 2.

85. Quam horrendum verò supplicij genus fuerit *σάυρωσις*, quæ
humanæ carnes volucris & *bolvis* obiectæ fuerunt, non indi-
get

get declaratione, è divinis comminationibus & salvatoris nostri exemplo manifestum est Deut. 32. 24. 1. Reg. 14. 7. 33. Deut. 21. Gal. 3.

Postremum membrum de eventu predictionum.

86. In postremo membro recenletur eventus vaticiniorum Iosephi, cuius ἀφορμὴ fuit natalis Pharaonis. Cùm enim die suo natali grande convivium omnibus suis aulicis ministris parasset, & pincernæ quoq; pistorisq; nomina sive in catalogo occurrissent, sive alia ratione in memoriam redacta essent, alterum quidem

21. *Quest:* pristino honri restituit, alterum suspendit.

an inter pocula de pistoris morte fuerit tractatum.

87. Non est verisimile inter epulas hæc, sed antè tractata fuisse; Tyranni enim est inter pocula de hominum morte sententias ferre, quod Ptolemæus facere solebat, qui cùm ad thesseras sederet & aleâ luderet assistens quidam condemnatorum nomina ipsi recitabat, & crimina in eos collata referebat, ut ille, qui nã mortis supplicium commeruissent, decerneret: Cui verò Berenice uxor non similem esse, dicebat, casum tesserarum & corporum.

22. *Quest:* *an diem natalem celebrare sit licitum.*

88. Diem natalem ita celebrare, ut mirabilis hominis formatio in utero, ejusdemque educatio & adversus diaboli insidias defensio grato animo repetatur vitaque & fortunæ divinæ protectioni commendentur, pium & æquum est; Helluationi verò indulgere, & inter pocula innocentes injuriã afficere, longè iniquissimum, sicut Herodes faciebat Marc: 5.

89. Quod alter victorū è custodia ad pristinos honores, alter ad suppliciū exit, in eo typus est resurrectionis mortuorū, è quibus alij ad vitam, alij ad æternã mortem prodibunt, Dan: 12. Ioh. 5.

23. *Quest:* *de vaticinijs estimandis.*

90. Comprobatur etiã hoc eventu regula de omnibus vaticinijs Ier: 28. tradita, quod tunc vera censenda sint, cum res ipsa illis respondet. In qua tamen regula discrimen vaticiniorum categoricorum & hypotheticorum diligenter notandum esse Ionæ prophetia ostendit, Ion: 3.

91. Pharao autem nō ideo de suis ministris ita decernit, quia sic prævisum & prædictum fuit, sed quia Deus καὶ πρόνοιας prævidebat, eum sic & non aliter decreturum, ideo per Iosephum id ipsum prænunciavit.

24. *Quest:* *an predictio causa eventus vel contra.*

92. Postremò meritò vituperatur Pincerna, qui Iosephi obliviscitur. Factum enim illud est partim ex ingratitude, partim ex inhumanitate: Neq; existimandū Deum hanc illi oblivionem immisisse, licet ea illustrandæ gloriæ divinæ subserviat, ut capite sequente audiemus.

F I N I S.





AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237




sb.

Wort







1 dd
RATIO BIBLICA XXX.

Capite Geneleos,

privatam *συζητησις*
proposita

à

ADONE GESNERO, S. S.

PHILOSOPHIAE DOCTORE ET PRO-

fessore publico, in Academia


Vitebergensi,

De qua

respondit Anno 1599. Deo auxiliante respondebit

JESU VVECHTOLDVS.

Argentiniensis.



VITEBERGAE,

typis Meissnerianis,

M. DC. XCIX.

